



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,  
mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem  
præceptorum secundæ tabulæ

**Tamburini, Tommaso**

**Monachii, Anno M.DC.LIX.**

De emente, ut item de acquirente rem alteri obligatam, num. 5.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39995**

illam debere domino restituere, non autem furi, jam dixi modo num. 22.

*De emente, ut item de acquirente rem alteri obligatam.*

**I**ncidit hic dubium de re alteri hypothecata seu obligata, quam ego fortè emi, seu per hæreditatem acquisivi, in seius ejusmodi obligationis. Domum v. g. emi à Petro, justo pretio centum aureorum; deinde apparet, eam esse obligatam Francisco in aureis viginti; an debeam ea viginti Francisco solvere? Respondeo, communis est doctrina, me debere vel solvere, vel tradere illi domum, licet postea regressum habeam contra Petrum venditorem: ratio est, quia tunc urget radix restitutionis ex re accepta; sicut enim si emissem eam domum à fure, nullum ego in eam dominium acquisivissem; ita nunc secundum illam partem respondentem viginti aureis non acquirò dominium, saltem plenum & perfectum, quia secundum illam obligata est creditori, & veluti ejus est ea pars. Si vendidisset tibi eam domum is, qui erat in extrema necessitate, te non obligat Valerius *a*; verum id vidè apud Delugo *b*, res est enim rarissimi eventus.

*a Valer in Diff. utriusque fori, v. de bitum, diff. 11. b Delugo dicta d. 17. sect. 5. à num. 95.*

6. Si acquisivisses hæreditatem paternam, v. g. quæ verè non sufficiat ad patris debita, ad nihil teneris in conscientia, etiam si non feceris inventarium. Quod si bona hæreditatis sufficiant, sint tamen vinculata, debes solam ex fructibus solvere eadem patris

debita, si hæc debita sint contracta post institutum vinculum: at si fuissent contracta ante vinculum institutum, vel si fuissent contracta ab instituente revocabiliter dictum vinculum, debes ex capitali solvere, ut brevibus docet alijs citatis Bonacina *c*, quia antecessoris bona semper transeunt cum onere, quod habent, restituendi cuique suum.

## §. IV.

*Occasione predictorum explicamus, quandam per conjunctionem res aliena tran- sit in meum dominium, ita ut non debeam rem ipsam in individuo.*

1. **A**D multa usui erit explicatio, quam paramus afferre; nam propterea universaliter est tractanda, ut ne mireris. si ad alia, quæ hujus loci non videntur, divertamus: id enim facit, ut ea omnia, quæ de ejusmodi conjunctione ignorari non debent, hic in unum collecta lector addiscat.

2. Quatuor modis hæc coniunctio formari & esse potest: primò, per alluvionem: secundò per adjunctionem: tertio, per confusionem: quarto, per admixtionem.

*Per Alluvionem.*

3. Alluvio in legibus *a* alia est patens, alia latens; latens est, quando per alluvionem aliquid insensibiliter tuo fundo adjungitur: patens, quando ex fluminis vi detrahitur aliqua pars fundi tui vicini, & transfertur in fundum tuum. His positis.

*a Institut. de rerum divisione, §. praeterea, quod per alluvionem, & deinceps. Dico,*